

www.e-rara.ch

Synopsis festalium concionum

Musculus, Wolfgang

Basileae, 1595

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-7234>

In festo paschatis

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]


Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

100 DE PASSIONE CHRISTI.
magis per ea confirmant, & gloriosam
reddant.

VSVS MORTIS CHRISTI.

CUm Christo mortui & sepulti fu-
mus per baptisma. Rom. 6. Quomo-
do ergo peccatis viuemus? Quod si per
mortem Christi factam liberationem ne-
glexerimus, unde saluabimur?



IN FESTO PA-
SCHATIS.

MARCI VLTIMO.

 *T* cum præterisset Sabbatum, &c.)
Historiam resurrectionis Chri-
sti, Euangelistæ diligenter per-
scribunt; ad hoc intenti, vt eam
credamus. Quare verò resurrexerit, &
quæ sit Resurrectionis Christi virtus &
fructus, Apostoli Petrus & Paulus studio-
se & dilucidè tradunt. Videbimus itaque
primùm de historia; deinde de fructu.

Primò, describitur ingens mulierum a-
mor erga Christum, quem non solum vi-
uum dilexerunt; sed & mortuum quo po-
tuerunt modo venerati sunt.

Est

Est autem in isto mulierum exemplo, partim quod aliqua nobis ratione imitandum est; partim quod fugiendum: Partim etiam quod admirandum & à Deo orandum.

1. Quòd istæ mulieres officium suum mortuo Christi corpori impèdere conantur, quatenus amoris erat opus, eatenus & nobis imitandum est erga proximos nostros; quos debemus ut & nos ipsos diligere, siue uiuant, siue mortui sint. Sed videndum, ut dilectio nostra cuiq; temporis suam tribuat iustitiam, quemadmodum videmus in istis mulieribus. Istæ, Christum dum uiueret sequutæ fuerant, illiq; de facultatibus suis ministrauerant; ut suprà cap. 15. & Matth. cap. 27. legimus. Postquam verò mortuus esset, non iam locum habentes, ut ministrarent illi pristino modo, quod licebat, hoc facere conabantur mortuo; nempe sepulturæ exequias præstabant. Ad eum modum & nobis diligendus est proximus. Viuo præstanda alimonia, mortuo ministrandum ad sepulturam: Exemplo sunt, Galaaditæ 2. Sam. 2. Tobias, &c. Carpenda hic est eorum hypocrisis, qui cum viuos negligant, erga mortuos officiosi apparent. Sic

Mundus solet sanctos mortuos colere, quos viuos aut conténit, aut persequitur.

Est etiam hîc descriptum ingenium dilectionis in eo, quòd ante institutam vntionem, & egressionem ad monumentum, de lapidis magnitudine nihil disputauerant, ad vnum intentæ vngendi propositum. Sic solet charitas. Sed rursus videmus, quàm inanis fuisset cogitatio, si hac de re anxîæ fuissent.

2. Deinde in mulieribus istis repræhendendum est, quòd cùm de resurrectione Christi futura à Christo ipso audiuissent, nihilominus illi non credebant; Sed instar mortuorum eorum, qui resurrecturi non creduntur, de eo sentiebant. Atque hoc est quod angelus clanculum dicebat. *Sicut dixit vobis.* Hinc est quòd officium non necessarium, & Christo parum congruum adornant; nimirum ignorantia virtutis Christi adducti.

Exemplum hîc datur eorum, qui zelum quidem Dei ostendunt, sed non secundû scientiam, ea præstantes Deo, quæ cum verbo illius non conueniunt. Proinde nobis eò nitendum, vt verbo Christi credamus, magis quàm nostræ rationi, *Im baptstüb, bey dē grab sitzen mit liechterē, &c.*

3. Ter-

3. Tertiò Admirandum est etiã, quòd infirmo sexui diuinitùs concessum erat, quod Apostolis negatum videmus. Nempe quòd magno zelo posteriores apud crucem, & primæ apud monumentum cõparent mulierculæ, vnde & primæ merentur esse Resurrectionis Christi testes.

DE ANGELO.

Matthæus diligenter describit de isto angelo, quomodo cum terræmotu descēderit de cœlis, lapidem reuoluerit, resurrectionemque Christi primus annunciauerit, & ad oculum ostenderit. *In veste alba*: symbolū erat resurrectionis. In angelo, commercium cœlestium, ad quod per Christi resurrectionem adducti sumus.

In Matth. notanter ponitur, custodes exterritos quidem; sed non consolatos; Mulieres verò consolatas.

Ne expauescatis.) Matth. addit ὡς, q. d. quemadmodum custodes. Resurrectio Christi, aduersarijs Christi terribilis, fidelibus solatio est.

Abite, dicite discipulis eius:) Ex mulieribus facit ministras magni gaudij erga Apostolos. Discipuli erant in magno mœ-

rore; ergò ad eos mittit Angelus, maximè ad Petrum. Non vult mulieres continere hoc gaudium apud se, sed & alijs communicare.

Testimonia Resurrectionis Christi.

Terræmotus, Angelus, vestis sicut nix, locus vacuus, exterriti custodes. Sed omnium potissimum est testimonium, ipsa Christi apparitio: de qua statim subiicit.

De virtute Resurrectionis Christi.


Illa dupliciter consideranda. Primò, quod attinet ad personam Christi, de qua est Eph. 1. Rom. 1. 14. Secundò, quod attinet ad nos: Atq; illa dupliciter est æstimanda. Primò, quomodo per illam iustificati simus, Rom. 4. *Mortuus est propter delicta nostra, resurrexit propter iustificationem nostram.* Phil. 3. *Et inueniar in illo non habens iustitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Iesu Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide, ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, &c.* 1. Pet. 3. *Conscientia bonæ interrogatio, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.* Atq; ista iustificatio non ita intelligenda est, quòd tantum à reatu simus liberati; sed etiam ita, vt & per illam cum Christo simus resuscitati in nouam vitam. Ro. 6. Col. 2. 3. còtra traditiones humanas.

Ista

Ista verò noua vita, quam ex Resurrectione Christi habemus, non solum est ad istam vitam præsentem referenda; sed etiam ad cœlestem illam, in qua Christus est. De hac Eph. 2. *Conresuscitauit & conseruare nos fecit, &c.*

Re ipsa in Christo quia caro nostra est, iam sedemus in cœlestibus cum Christo. Quòd ad personas nostras attinet, spe sedemus in cœlis; De hoc est 1. Pet. 1. *Qui regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi.*

Secundò, est etiam in eo consideranda virtus resurrectionis Christi, quòd per illam & nos resurgemus. Vide 1. Cor. 15.



LV C. XXIV.

1541.

Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in ca-
stellum, quod erat in spacio, &c.

*Ratisbonæ
apud Hef-
sum.*



ISTORIA hæc in die Resurrectionis facta: Totus hic textus tria habet. Primum, fidei erga Christum verum Messiam ac Filium Dei tentationem, quæ discipulis etiam ex morte illius cōtigit. Deinde, in-

genium boni pastoris, qui ouiculas aberrantes ac declinantes ad viam reducit. Tertiò, quo affectu sint pij etiam infirmi, vbi audiunt veritatis declarationem, & Christum clariùs agnoscunt.

Contextus historiæ est satis amplus, & copiosus; plenus doctrinæ & consolationis. Nos verò ex multis pauca desumemus; & hos treis articulos (ne tædio simus auditoribus) qua possumus breuitate percurramus. Vestrum est, alimenta (vt Gregor. inquit) quæ minus sufficiunt, auidius sumere.

De Primo.

In his duobus discipulis ob oculos exponitur, quomodo per crucem fides in Christum tentetur, & scandalum patiatur. Sperauerât hunc Iesum esse Messiach redemptorem Israël, tantisper dum in viuis esset & miranda designaret; Vbi verò viderunt crucifixum, mortuum & sepultum, scandalum patiuntur in fide, & cogitant se spe vana deceptos esse. Omnia iam esse perdita & deplorata. Ideò dicunt, *Nos sperabamus.* q. d. Amissa est iam omnis de illo spes, qua hactenus fuimus.

Deinde, discedunt à Ierosolymis ad sua,

re omni deplorata. Quamuis enim attoliti fuerant facti per mulieres; nihil tamē spei conceperant, atq; idē abibant.

Tertiò, Non dicunt, *Qui fuit Rex Israël:* Sed, *qui fuit vir Propheta*, &c. Interea non possunt animis excutere memoriam Domini; loquuntur in itinere de illo, interq; se conferunt, idq; tristes. Deinde non male de illo loquuntur. Non dicunt: Decepit nos ille impostor, sed agnoscunt eum pro propheta.

OBSER. I.

Videmus itaq; hoc exemplo; primū, quid timendum sit sub cruce credentibus in Christum: scil. ne etiam in ipsorū cordibus veritas scādalum patiatur. Si enim Apostolis ista acciderūt, qui multa viderant tamq; insolentia Christi miracula; Præsertim paulò ante mortem: Lazarum quatrduanum mortuū, è sepulchro, iam foerentem, verbo tantū excitatum; quid nobis timendum est, multò minus exercitatis?

II. Deinde & hoc notandū est, quā differant in tentatione sancti à reprobis. Illi statim respuūt, vituperant, odio prosequuntur: Pij verò non ita. Etsi tentationem in aliquo, quod vel per se, vel aliunde

de obscuretur, patiuntur; ea ramen inter-
ea ingenuè, quæ certa & indubitata sunt
farentur & prædicant. Sic hi duo, licet
spem de Christo remiserint, Christum ta-
men non vituperant, sed adhuc amant; &
quæ in illo viderant, prædicant & com-
mendant.

III. *Mulieres quædam ex nostris.* Item: *Et
abierunt quidam ex nostris.*) Obseruandum
est, quòd consortes spei suæ quam habue-
rant de Iesu, agnoscunt adhuc, annume-
rantes se illis, q̄ spei huius gratia in Chri-
sto fuerant adunati. Fides enim, in Chri-
stum credentes coadunat & coniungit,
vt vnum sint, & alter alterum pro suo con-
sorte agnoscat. Omninò hic excludun-
tur aliqui, vbi dicunt; *quidam ex nostris*, qui
non fuerint de isto consortio & corpore.
Ita solet Christus in hoc seculo quos ele-
git vnire, & à cæteris ad Mundum perti-
nentibus separare, etiamsi sint fratres, so-
rores, parentes. Et hoc probri gratia ple-
runque grauitur Christianis obijcitur. I-
dem experimur etiam hodie.

De Secundo.

Ingenium boni Pastoris.

Exprimitur etiam in hac historia boni
pastor-

pastoris ingenium. Hic non negligit ouiculas, licet paucas, duas scilicet: neque præcipuas, (nō enim erant Apostoli) sed iam aberrantes à grege inuilit ac reducit. Videamus modum. Primū, deiectos ac tristes cōuenit, idq; modo accommodato, sub specie peregrini. Rogat quare re conferant: quidque tristes sint; occasionem venans ex eo quod inter se agitabant. It cum illis, quasi eodem vsurus itinere: Seruat humanitatis modum. Moralis est hic locus, simul etiam, licet sub inuolucro exprimēs ingenium pastoris; quod de se loquentibus, suoque nomine tristibus nequeat abesse.

Deinde tarditatem ad credendum, & incogitantiam illis opprobrat, qua re aperit, vnde sit origo huius tristitiæ deiectæq; spei.

Tertiò, Scripturam illis exponit de se prophetantem, ex Mose & Psalmis. Vide statim infra, vbi idem repetit apud vndecim Apostolos. Cur non adducit miracula sua? Scripturas inducit: Quia hoc potissimum est firmamentum stabiliendæ fidei in Christo. Sic Paulus 1. Corinth. 15. *Secundum scripturas mortuus est, secundum scripturas resurrexit.*

1. Locus de vtilitate scripturæ. Vide August. lib.3. contra literas Petiliani, capite 6. Item Epistola 166. Item Chrysost. super Matth. homi. 49. cap. 24. Item Gal. 1. super illud, *Quemadmodum dixi, & nunc iterum dico.*

2. Ostendit etiam hoc loco Christus, hinc omnem esse fidei ac spei nostrę deiectionem, quod non satis credimus scripturis, & ex illis discimus prouidentię diuinę necessitatem. Aut enim non credimus scripturas esse verbum Dei, vel de veritate verbi Dei dubitamus.

3. Notandum etiam, quod tarditatem ad credendum scripturis, vocat incogitantiā & stultitiā. Iam nihil in nobis est, quod minus credit scripturis, quā nostra ratio. Ergo nihil in nobis stultius est.

4. *Sic oportuit pati & intrare in gloriam.)* Petrus. Priores passionēs, & posteriores glorię. Transitus ad gloriam est per crucem.

5. Manifestat se illis per fractionē panis. Hęc erat illius consuetudo. Vide Iohan. 21. Matth. 14. Marc. 8. Cognoscāmur & nos Christiani ex fractione panis, hoc est, vera charitate.

De Tértio.

*De affectu discipulorum interea dum audiunt
veritatis declarationem.*

Primùm cor illorũ ardet, interea dum
de Christo audiunt declarationẽ. 2. Adi-
gunt illum vt maneat, nimirũ cupidi vl-
terius audiendi; atque hoc pacto meren-
tur pleniorẽ ac certiorẽ manifestatio-
nem excitati Christi. 3. Præ gaudio re-
deunt Ierosolymam, & reliquis fratribus
annũciant quæ experti fuerant. Hæc tria
& ad nos pertinent.

Loci de vtilitate scripturæ.

*Act. 17. Thessalonicẽses quotidie scripturas scru-
tabantur, an sic haberent quæ à Paulo dicebantur.*

*2. Pet. 1. Habemus firmiorem propheticum ser-
monem, cui benefacitis attendentes, quasi lucer-
na lucẽti in loco caliginoso, donec illucescat dies.*

Aug. de doctrina Christiana

lib. 1. cap. 37.

*Titubabit autem fides, si diuinarum scriptu-
rarum vacillat authoritas.*

Idem, Epistola 166.

*In scripturis didicimus Christum. In scriptu-
ris didicimus Ecclesiam: Has scripturas commu-
niter habemus. Quare non in eis & Christum &
Ecclesiam communiter retinemus?*

Idem contra literas Petiliani.

lib.3.cap.6.

Proinde siue de Christo, siue de eius Ecclesia, siue de quacungq; re alia, quæ pertinet ad fidem, vitamq; nostram, non dicam nos; nequaquam comparandi ei qui dixit; licet si nos, sed omninò quod sequutus adiecit, si angelus de cælo veniens annūciauerit, præterquam quod in scripturis legalibus & Euangelicis accepistis, anathema sit.

Chrysoft. super hunc locum. Galat. 1.

Si angelus è cælo, &c.

Abraham quidem, cum esset rogatus, ut Lazarum mitteret, dixit: Habent Moſen & Prophetas, si non audierint illos, neque resurgentes mortuos audient. Cum autem ista dicentem inducit Christus, ostendit quomodo scripturas sacras, excitatis etiã mortuis fide digniores esse velit. Paulus verò, (Paulum autem cum dico, rursus ipsum Christum dico: Nam is animũ illius mouebat) angelis quoq; è cælo descendentibus eas præponit: idq; valde meritò. Angeli siquidem, licet magni, serui tamẽ sunt & ministri. Omnes verò sacræ scripturæ, nõ à seruis, sed à Deo omnium Domino scribi iussæ sunt. Hæc ille.

1548.

3. April.

I.

O stulti & tardi corde ad credendum.

IN eo, quòd defectum fidei reprehendit in discipulis, obseruandum est; quæ sit causa

causa tristitię & offendiculorum in rebus aduersis. Res ipsę non sunt in causa, quāuis aduersę, sed fidei defectus.

I I. Quòd non dicit. O impij & excęcati corde. Differētia magna est inter impios prorsus incredulos, & inter pios; qui etsi tardè credant, non sunt tamen prorsus excęcati, & incapaces fidei.

I I I. *Tardi corde ad credendum.*) Exigitur ergo, vt citò & propēso animo credamus; sic vt tarditas ad credendum, licet non prorsus damnetur, reprehendatur tamen in pijs.

I V. Vnde sit illa tarditas cordis nostri ad credendum: Expende quid discipulos istos impedierit. Hoc videlicet, quòd sciebant, Dominū esse crucifixum & mortuum. Sic spectra crucis, infirmitatis nostrę, & terrenę potentię cōsideratio, corda nostra tarda reddunt ad credendum.

V. Quòd hanc cordis tarditatem ad credendum vocat stultitiam. At illa plerunq; est ex sapientia carnis & iudicio rationis humanę. Ergò stultum est audire ac sequi iudicium rationis, & non audire & sequi vocem Spiritus Sancti. Stultum est credere stulto & mendaci, & non credere sapiēti & veraci. Caro hanc creden-

di pronitatem iudicat esse stultitiam; & sapientiam putat, si omnia certis rationibus demonstrentur.

VI. *In omnibus his quæ loquuti sunt prophetae.*) Quare non dicat, ad credendum verbis illius quæ ex ore illius audistis; & factis, quæ vestris oculis vidistis; sed eos ad scripta prophetica mittat. 1. Attemperat se illis. 2. Et nobis quoque regulam præscribit.

VII. Quare non dicat quæ loquutus est Deus. Annon fuerunt prophetæ homines? dicit caro. Homines quidem, sed homines Dei, & interpretes secretorum Dei. Vide. 2. Pet. 1. & Ebr. 1.

II X. Ergo scripta prophetarum nota fuerunt vulgo Iudæorum: Erant enim isti duo discipuli laici; Alioquin immerito repræhendisset eos Christus, quod tardo corde essent ad credendum scriptis prophetarum, si illa ignorassent. Legebantur scripta prophetarum singulis Sabbatis. Hic mos erat olim in Ecclesia quoque. Hinc anagnostæ.

I X. Etiam illud expende, quod non simpliciter dicit, ad credendum quæ loquuti sunt prophetæ: sed, *ad credendum in omnibus quæ loquuti sunt prophetæ.* Ergo non
fatis

satis est quædam credere, nisi credantur omnia, quæ sunt in sacris scripturis. Quæ de regno Christi erant in scriptis prophetarum, illa tenebant discipuli; de cruce & passionibus non ita; At non solum de regno, sed & de cruce & morte prædixerunt prophetæ. Ioh. 12. dicebant Israëlita: Nos audiuius ex lege, quod Christus maneat in æternum; & quomodo tu dicis: oportet exaltari filium hominis? Vide quæ illic annotauerim.

Nónne hæc oportuit pati Christum, & intrare in gloriam suam? 1544.
15. April.

A Postolus 1. Cor. 1. dicit, sermonem crucis esse offendiculum Iudæis & Gentibus, hoc est, rationi humanæ. Illa nanq; iudicare non potest, quomodo fieri possit aut etiam deceat, multò minus quomodo debeat, vt vitæ ac salutis author sit & habeatur is, qui à sua gente sit crucifixus, occisus & sepultus. Arbitratur conuenientius esse, vt vita ex viuente, salus ex forti, gloria ex glorioso; quàm ex mortuo, infirmo, & ignominioso speretur. Et hoc iudiciũ est ex ignorantia mysterij absconditi à sæculo. Hinc est quòd & Apostoli per crucem sunt offensi. Petrus. Matth. 16. Omnes cap. 26. Omnes vos

scādalum patiemini in me hac nocte. Et ex hoc fonte erat, quòd duo isti discipuli dicebant: Nos sperabamus, &c. Offendiculum hoc crucis, Christus his verbis animis illorum eximit; ostendens ita necessariò factum esse. Notemus ergò particulam hāc diligenter, in qua sunt hęc obseruanda. Primum.

Nōne oportuit pati Christum?

Prima offendiculi portio in eo erat, quòd viderant, eum passionibus ac morti obiectum, & occisum esse, quem crediderant redempturum Israëlem. Inde ratio colligebat, factū hoc esse ex infirmitate, vel ex imprudentia illius, eò quòd sibi vel non potuerit, vel non nouerit cauere; ne in manus inimicorum incideret, atque ideò se in eo falsos esse, quòd sperauerint eum fore redemptorem Israëlis. Hinc Iohannis 12. *Nos audiuiamus ex lege quòd Christus maneat in æternum. Et quomodo tu dicis, quòd exaltari oporteat filium hominis?* Contra hoc genus offendiculi facit quod dicit. *Nōne oportuit pati Christum?* Vt admoneat eos, non infirmitatis aut imprudentiæ suæ fuisse, quòd occisus esset; sed necessitatis inuitabilis. Poterat dicere, Non impedit Christum à redemptione
Isra-

Israëlis, quòd passus est: aut, vtile fuit, vel iustū fuit vt pateretur; Verūm dicit; *Nōne oportuit pati Christum?* Quis sensatus offenderetur in eo, quòd aliter fieri nequit? Offensio hinc est, quòd putamus non ita fieri decuisse, nec debuisse, sicuti factum videmus. Igitur offendiculum hoc discipulorum ex opinione illa erat, quā de Christo conceperant, quòd esset in morem huius sæculi cum gloria & potentia regnaturus, Romanosq; oppressurus, nō ab illis opprimendus. Offendiculum nascitur, si quid accadat contrā quā opinatus sis, opiniones autē aliquando & falsæ sunt; vnde fit vt ex vero & recto non intellecto nascatur offendiculum. Non ex omni absurdum est offendiculum; sed ex eo quod præter opinionem accidit. Sic multi hodie offenduntur coniugio ministrorum Ecclesiæ, qui tamen sacrificulorum scortationibus non offenduntur.

2. Sed quæritur hîc: quare oportuerit Christum pati? Variæ sunt necessitatis causæ. An ideò, quòd potentiam inimicorum suorum, scribarum, sacerdotum ac Pharisæorum, vitare vel noluit, toties illos accedendo & accusando: vel non potuit, nullis viribus iuxta sæculum muni-

rus? Ita fortè iudicabit ratio humana; si facta Christi, & infirmitatem carnis eius, ac iuxta potentiam Sacerdotum & Pilati consideraret: Verùm hîc alia causa fuit. Hanc Christus ipse in hoc capite assignat, cùm infrà dicit: *Hæc sunt verba quæ loquutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum, quòd necesse foret impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Mosi, & Prophetis, & Psalmis de me: Ergo necesse fuit ob id pati Christum, vt scripturæ implerentur. Ideò & hîc scripturas istis duobus interpretatur. Et Matth. 26. dicit. An putas quòd non possim nunc rogare patrem meum & exhibebit mihi plus quàm duodecim legiones angelorum? Quomodo ergò implebuntur scripturæ, quòd sic oportet fieri? Tanta est videlicet veritas sacræ scripturæ, quæ ex instinctu Spiritus sancti profecta est. Discipuli ea tantùm respiciebant, quæ regnum & gloriam Christi concernebant in scripturis; passionem verò Christi non ita. Locus hic est expendendi hanc necessitatem implendarum scripturarum non in capite solùm, sed & in membris; non solùm quod passionem, sed & quod gloriã ac salutem concernit.*

3. Rursus dicet quisquam, quæ causa fuerit talia de Christo scribendi? Primum quia

quia ita futurum erat. Etenim non ideo sic accidit, quia sic scriptum; sed sic scriptum est, quia sic futurum erat. Deinde ita futurum erat, quia Deus ita voluit ac disposuit. Ideo Christus in horto dicebat. *Si fieri non potest ut transeat calix iste, fiat voluntas tua.* Et ad Pilatum, *Non haberes, inquit, potestatem in me, nisi tibi datum esset de super.* Et ad Petrum, *Calicem quem dedit mihi pater, non vis ut bibam illum?* Atque hinc est quod *Apoc. 13.* agnus iste occisus dicitur ab origine mundi; videlicet cum propter diuinam predestinationem ac dispositionem, qua ab æterno ita dispositum est, ut Christus occideretur, tum propter eius efficaciam perpetuam.

4. Ad hæc si quæras, quare Deus ita voluerit ac disposuerit: Christiano homini non licet aliam assignare rationem, quam ut hoc pacto per mortem aboleret eum qui mortis habebat imperium, hoc est Diabolum, & nos liberaret: Ebr. 2. Expende eum locum.

Conueniunt ergo in hoc necessitatis articulo; primum charitas Dei, qua mundum sic dilexit, ut Filium suum unigenitum daret; voluntas Dei ad saluandum nos, *Iohan. 3.* nostra redemptio, & scripturarum veritas.

Deinde: *Hæc.*

Secundo loco notandum est, quòd nō simpliciter dicit, Nōne oportuit pati Christum; sed, *nōne oportuit hæc pati Christum?* Ergo nōn quæuis passio Christo destinata fuit, sed ea quam tulit secundum scripturas.

1. Quòd traditus à Iuda. Psal. 41. *Qui comedit panem mecum, &c.*

2. Quòd à senioribus populi condemnatus: Psal. 119. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, &c.*

3. Quòd negãdus à populo suo, & occidendus. Dan. 9.

4. Quòd cõsputus ac colaphis ac virgis cæsus. Esa. 50. 53.

5. Quòd crucifixus. Num. 21. Psal. 22. *Foderunt manus, &c.*

6. Quòd vestimẽta eius diuisa. Psal. 22.

7. Quòd aceto & felle potat⁹. Psal. 69.

8. Quòd irrisus ab omnibus. Psal. 22.

9. Quòd inter latrones. Esa. 53.

10. Quòd lancea confossus. Zach. 12.

11. Quòd non deberet caro illius corrumpi. Psal. 16.

12. Quòd anima eius non esset relinquenda in inferno. Psal. 16.

13. Quòd esset resurrecturus. Typus in Iona. Quòd

Quòd ergò notanter dicit, *hæc oportuit pati Christum*, documento nobis esse debet, tam abesse vt crux Christi fidei possit esse offendiculo, vt si scripturas perpendat, magis sit fidei corroboratio. Ad hunc modum non solùm Christo, sed & reliquis omnibus filiis Dei, destinata cuiq; est sua crux & passio.

Tertiò. *Nónne.*

Tertio loco notandum est, quòd non simpliciter dicit, Oportuit hæc pati Christum; verùm interrogationem adiungit: *Nónne oportuit hæc pati Christum?* Habet hæc interrogatio nonnihil reprehensionis horum discipulorum: qui si scripturis credidissent, vtiq; offendiculo hoc crucis affecti non fuissent. Admonemur ergò hîc, meritò vitio verti illis, qui offenduntur in his rebus, quæ secundùm scripturas accidunt; & vel ipsis, vel alijs contingunt. Offenduntur hodie multi, quòd tanta est præsentis seculi corruptio, quòd pauci reperiuntur credentes, & tam rara est charitas Christiana, cùm ista sint à Christo prædicta. His obijci potest. *Nónne sic fieri oportet?*

Quartò. *Christum.*

Quartò notemus hîc, quòd non dicit.

Nónne oportuit hæc pati Iesum illum à Nazareth, sed Christum. Dixerant de Iesu Nazareno? *qui fuerat vir propheta, potens opere & sermone, coram Deo & toto populo; quibus verbis ostendunt, quid de illo certò teneât; nempe quòd propheta fuerit, &c. quòd autem Christus fuerit, de hoc iam dubitabant, dicentes; Nos sperabamus eum esse illum, qui redempturus esset Israël.* Rectè ergò Dominus, vt nutantē spem de Christo in illis erigat, Christum eum vocat qui crucifixus fuerat; ostendens, per crucem passionem ac mortem nō impediri hunc Iesum, quò minùs sit Christus. Credebant illi fieri posse, vt vir propheta occidatur à reprobis, id quod sæpenumero in Israël factum fuerat: at Christum occidi posse non credebant; & quia hic Iesus occisus fuerat, cœperant ob eam causam, spem de illo conceptam, quòd Christus esset, abijcere; & in eo consistere quòd vir propheta fuerit. Ita de Christo & Turci hodie sentiunt; verùm quòd redemptor fuerit Israël, non credunt. Proinde diligenter notandum est, ac firmiter tenendum; non solùm prophetas occidi posse, sed & Christum Filiū Dei necessariò occisum, & nihilominus, imò hoc ipso redemptorē esse mundi.

Quin-

Quintò. *Et intrare in gloriam suam.*

1. Quintò, quoniã arbitrabantur mortem Christi, confusionem esse & ignominiam, imò perpetuam illi ignominiam alaturam, per contrarium affirmat, mortem hanc & passionem, tam non obesse gloriæ eius, vt potius per hanc ingressus sit in gloriam suam. Hinc est quòd Apostolus Petrus priores passiones, & posteriores glorias in Christo, à prophetis prædictas esse dicit.

*Cruce porta
est ad glori-
am.*

2. Non autem simpliciter dicit, in gloriam, sed addit; *suam*. Quæ illa est? Quæ est alia gloria quæ post mortem acquiritur, quàm cœlestis & spiritalis? filij Zebedæorum dicebant; *Da nobis vt sedeamus, ali-
us ad dexteram, & alius ad sinistram tuam, in
gloria tua.* Intelligebant autem de gloria terreni Regni, quod sperabant, vnde Matthæus habet, *in regno tuo*. Verùm ostendit eis hîc, gloriã Christi talem esse, in quam per mortẽ sit ingressus, id est, cœlestem.

Mar. 10.

3. At & sancti credentes & electi in hãc gloriam per mortem ingrediuntur; quæ est igitur Christi gloria, in quam præcipuam ac singularem, per mortem ingressus sit? Erat & ante mortem Filius Dei; declarabat etiam gloriam vnigeniti Dei

ante mortem; de qua Ioh. 1. *Vidimus gloriam eius.* Item Ioh. 2. in miraculo vini ex aqua facti: & *manifestauit, inquit, gloriam suam.* Quæ ergò illa est, quam per mortem ingressus est? Gloria hæc Christi, est gloria regni cœlestis, quam ad dexteram patris sublimatus accepit, Dominus constitutus omnium quæ in cœlo & quæ in terra. Hanc gloriam non tum primùm accepit, quando à mortuis est excitatus, & ad cœlestia exaltatus; sed quia tum hanc exere-re & declarare cœpit, rectè dicitur, p mortem in illa ingressus. De hac vide Ioh. 17. *Pater, inquit, venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* Item: *Ego te clarificaui super terram: opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam, & nunc clarifica me Pater apud te. metipsum, claritate quam habui priusquàm Mundus fieret apud te.* Ecce, dicit se hanc gloriam habuisse apud Patrem, antequam Mundus fieret; & tamen dicit, horam esse vt eam accipiat, oratq; vt clarificetur: vt intelligas, non tam gloriâ ipsum Christum tum primùm accepisse, quàm illius declarationem, & reuelationem. Quærat aliquis, quare non dicat: Nónne oportuit hæc

hæc pati Christum, & redimere Mūdum, quando hic sit passionis Christi finis ac scopus à Deo iam inde ab initio Mundi præfixus: Quæ nobis etenim consolatio fuerit, si Christus ad hoc passus est, vt ipse per crucem in suam gloriā ingrederetur? Respondeo. Gloria Christi salus nostra est. Ad hoc enim in cœlestibus regnat, vt nos saluet. *Consuscitauit nos, inquit Apo- Eph. 2. stolus, & consedere fecit in cœlestibus.* Sicut enim per mortē eius à morte liberati sumus, ita per gloriam cœlestem, ad cœlestia subducti & sublimati sumus. Et Ioh. 17. loco iam citato satis declarat, hanc gloriam suam, pro qua orat, ob id se & ad id petere; vt vitam æternam nobis largiatur, cū dicit: *Pater venit hora, glorifica Filium tuū, vt & Filius tuus glorificet te, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt quotquot dedisti ei, det eis vitam æternam.*

EIVSDEM HISTORIÆ

breuis expositio.

ARgumentū huius historiæ, est quomodo Christus post Resurrectionē seipsum suis declarauerit.

1. Duo isti discipuli imaginem gerunt eorum, qui etsi fide sunt in Christum in-

firmā, Christum tamen diligunt.

2. *Simul ibant.*) Ingenium dilectionis & vnanimittatis. Gleich vnd gleich gesellet sich gern.

3. *Confabulantur inter se de his, &c.*) Ex abundantia cordis os loquitur.

4. *Iesus appropinquans ibat vnā cum illis*) Vbi duo vel tres, &c. Matth. 18. Cōtra turpiloquia.

5. Condescendit illis etiam ipsa forma apparitionis, vt peregrinus peregrinis apparens: Sic Magos per stellam: Sic Piscatores per piscaturam: Sic Magdalenæ vt hortulanus: Quouis modo se infinuans vt instruat.

6. *Et estis tristes.*) Ingeniū affabilitatis.

7. *Qui fuit vir propheta: Et nos sperabamus, &c.*) Vide infirmam fidem. Illam adhuc hodie habent, qui ad eum modum credūt de Iesu, nō agnoscetes planè redemptorem. Ipse verè redemerat Israëlem, sed isti non agnoscunt: doctorem fuisse potentem agnoscunt.

8. *Et crucifixerunt eum.*) Historiā sciunt, rationem eius ignorant.

9. Attonitos reddidere. Signū est, non perpendisse eos verba Christi, quæ de resurrectione sua prædixerat.

O stulti

II.

O stulti & tardi corde ad credendum.) Tarditas ad credendum erat, quòd neq; angelis, neq; mulieribus, neq; ipsiis qui viderat sepulchrum, crediderant.

1. Vlcus ipsum tangit, & quasi fontem incredulitatis. Nimirum quòd scripturæ non creditur: Quasi bonus medicus. Vide hîc, quid Christus stultitiam vocet, & quid in suis carpat.

2. *Nónne hæc oportuit pati, &c.*) Ecce ex ignorãtia scripturæ fit offendiculũ, quod magis debebat ad fidem pmouere. Nam ipsi fuerant cruce Christi offensi.

3. *Et exorsus à Mose, &c. interpretabatur illis scripturas.*) Quare non aliquo miraculo sese coram eis declarat? Mauult illis ex scripturis seipsum declarare. Quare? Quia videlicet non vult alia de se credi, quàm quæ in scripturis habentur.

4. Præ se ferebat se longiùs ire. Quare? Atqui nondum erat opus ipsum perfectum, propter quod se illis coniunxerat: Deinde ipse sciebat quid esset factururus. Ratio. Vult cogi Christus, Hoc est, cordis affectũ petit. Sitientibus vult seipsum declarare. Huic exemplo conformemur & nos, si quando se simulat lon-

gius ire, nondum declaratus. Absque dubio cupiebant adhuc amplius audire de Christo differentem. *Mane nobiscum Domine*: Ita dicamus & nos. Nam reuera aduersperascit.

5. *Accepit Panem, gratias agens.*) Nihil hîc de Eucharistia; cōtra Eccium. *Aperi sunt oculi eorum.* Et nobis opus est ad cognitionem veritatis, vt oculi aperiantur.

6. *Agnouerunt eum.*) Erat ipsius consuetudo. Agnoscatur & nos per gratiarum actionem, qui simus. Gratiarum actio sit sanctificatio cibi nostri. 1. Tim. 4.

7. *Et subduxit sese à conspectu eorum.*) Corporalis præsentia seruiuit fidei; qua erecta, subducitur oculis, qui intus viuunt in pectoribus.

8. *Nōne cor nostrum ardebat in nobis, dum loqueretur, & interpretaretur scripturas?*)

1. Interpretatio scripturæ de Christo quorum pectora accendat. 2. Quid suauius tali communicatione affectuum de Christo?

9. *Surgentes eadem hora.*) Nescit Christianum gaudium tegi, Mox itur ad sodales, & fidei consortes.

EPISTOLA IN DIE
PASCHATIS.

I. COR. V.

Non est bona gloriatio vestra, &c.

ECCLESIAM Corinthiorū Paulus in Christo genuerat, & ab errorum vetustate in nouitatem vitæ induxerat, per prædicatam Euangelij gratiam; ad hoc, vt essent sancti & inculpabiles, ambularentque dignè ea vocatione, qua vocati erant in regnum Dei, & sortem electorum.

Contigerat in absentia ipsius (vt fit in ijs maximè, quæ benè instituuntur, ita sagitante Satana) vt multis modis illa Ecclesia malè cœperit habere. Hanc itaque vt ad viam reuocaret, hanc ad illam epistolam scripsit; taxans inter cætera illos & fornicationis gratia, quam enormem intra se habebant, vltra gentes etiam.

Et primò omnium castigationem erga Ecclesiam instituit, hoc est, eos, qui nihil minus volebant, quàm tam enormis delicti participes esse, interea nihil scribens ad fornicarium illum.

Corripit autē Ecclesiam hac in re, propter negligentiam & præposteram gloriationem, qua non solum nō castigabant peccatorem, nec gregis reliqui curam habebant; sed gloriabantur etiam ex huius casu. Dicit itaque: *Non est bona gloriatio vestra.* Quæ illa? Gloriabantur se ab hoc crimine esse immunes. Nihil ad se pertinere, quid ille vel ille faceret; Se esse infantes, eum debere videre qui reus esset.

Quin & hoc suggillare videtur, quod ex huius enormi scelere, non nihil etiam sibi laudis & gloriæ quæsierint: ad cuius comparisonem ipsi probissimi viderentur. Ita quippe est ingenium sectariorum. Hinc suprà dixit. *Et vos inflati estis, & non potius luxistis.* q. d. Putatis, vos abundè huius esse sceleris immunes, & egregiè etiā vobis interea placetis, quod vos non estis tales. Non est ista vestra gloriatio bona. Bonum quidem est, quod ab hoc crimine estis immunes; Quod verò interea nec hunc nec Ecclesiam curatis; nō benè gloriamini.

Ecce artificium Apostoli. Illi, qui contra reliquos gloriabantur se benè habere, non putabant fieri posse, vt in aliquo possent damnari, & culpari, etiam si Apostolus

stolus ipse rediret; ab Apostolo imprimis arguuntur. Quid illis timendum, qui in scelere sunt?

An nescitis quòd paululum fermenti totam consersionem fermentat?) Quoniam dixerat, gloriationem illorum non esse bonam; reddit illius causam, qua probet quòd dicit. Nempe talem. Gloriamini de vestra innocentia; & satis esse putatis, si dicere poteritis: Nos istud nec fecimus, nec laudamus. Ipse viderit; Quid ad nos? At interea non obseruatis, excusari vos non posse, quòd in hac vestra massa fermentum toleratis, vnde reliqua consersio omnis infermentabitur; nisi reiiciatur. Qua in reliquet, quàm non curetis reliquum Christi corpus. Et vt vrgeat tanquam in re inexcusabili, per interrogationis schema adoritur illos, dicens: *An ignoratis? q. d.* Quis est adeò stupidus, qui fermenti quòd in massa noua sit, ingenium ignoret? Videris in Ecclesia vestra mali coagulum & fermentum, & securi ridetis, & gloriamini de innocentia & magna animi probitate. An parum est, periculo exponere Ecclesiam Christi? Et ne excusent, propter delinquentis vnitatem; quasi res ista non sit tanti adhuc periculi, vno delincente,

cùm reliqui adhuc stent: dicit; *Quòd paululum fermenti*. Non dicit, quòd plurimum fermenti.

Ad hæc notandum, quòd non dicit, aliquam conspersionis partem, sed totam massam. Item, quòd non dicit, vitiat, vel fortè fermentat, sed assertiuè; fermentat.

Notanda Metaphora fermenti & nouę conspersionis. Per fermentum intelligit reliquias veteris ac priscae vitę, quam inter gentes vixerant: Nouam verò conspersionem vocat fideles in Christo renatos ac renouatos.

Expurgate itaq; vetus fermentũ.) Illatio est ex causa pmissa, q.d. Itaq; cùm sciatis naturã fermenti, quòd etiam modicũ fermenti, totã conspersionẽ fermentat; quid aliud restat, quàm vt fermentum illud quod in vobis est, expurgetis? Respicit autem ad figuram veteris Testamēti, quam habes Exod. 12. & 13. Quoniam elegerat sibi Dominus hunc populum, in peculiarẽ suum populum, illumq; iam ex Aegypto deduxerat in terram promissam, vt in illa sanctè viueret, & pie, spretis omnibus abominationibus, instituit redemptionis illius memoriale in agno Paschatis: adiunctis de abijciendo fermento, comedendisq;

disq; azymis panibus, præceptis: quibus innuebat se exigere, vt redempti ex Ægypto, memores huius gratiæ; pristinæ vitæ, & Ægyptiarum abominationū reliquias post se relinquerent, & in hoc sancto fœdere, sanctè persisterent. Atq; ideò coguntur omne fermentum in Ægypto relinquere. Sic Christus Matth. 16. Quia discipulos suos de fecibus Phariseorum eruerat, & ad nouā illam & sacrosanctam vitæ doctrinam consecrauerat; exigit ab illis, vt sibi à fermento Phariseorum cauèrent, id est, à doctrina illorum. Ad hunc modum & Paulus hîc facit. Atque ideò inducit Christum nostrum Pascha, qui pro nobis immolatus est.

Vt sitis noua conspersio, sicut estis sine fermento.) A gratia vocationis arguit. Sed quomodo expurgandum ab illis fermentum est, qui sine fermento sunt? Admonet eius quòd esse debebant, ad quod vocati erāt. Sic infrà cap. 6. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis.* Vide Psal. 16.

Nam & Pasca nostrum, &c.) Quòd nostrū dicit, discernit à veteri. Interea tamen potenter colligit ex oblatione Christi Paschatis nostri: expurgandum fermentum esse, vefcendumq; azymis panibus. Con-

iungitur enim Exod. 13. Pascha & azymorum esus. Tempore Paschatis ita non licebat vesci fermento vt scriptum sit, *Omnis comedens fermentum exterminabitur anima illius ex Israël.* Iudæi tanta superstitione fermentum vitarunt his diebus; vt & murium cauernulas exquirere. Quid nobis faciendum? Colligit itaq; Paulus ex perpetuo illo statuto legis de comedendis azymis tempore Paschatis, non esse ferendum fermentum, id est, reliquias veteris vitæ in Ecclesia, posteaquam iam Pascha nostrum Christus pro nobis immolatus est.

Itaq; diem festum agamus non in fermento veteri.) Conclusio ex hoc Paschatis festo, qua propositum suum corroborat, vt intelligant qua debeant synceritate conseruare statum Ecclesiæ; abiecto omni fermento nequitiae & malitiae. Hanc Epistolam Pontificij propter mentionem Paschatis, in hunc diem vsurparunt: quasi Apostolus loquatur de annuo festo, & non magis de cõtina & perpetua vita in sanctitate conseruanda.

Quid nos hîc admoneamur.

Primò, quantam debeat puritatem & synceritatem Ecclesia Christi respicere, ve-

rum Paschatis festum semper celebrans,
hoc est, semp in nouitate vitæ ambulans.

Deploranda hîc Ecclesiæ impuritas, &
vbi illa cœperit, & quo vsq; profecta sit.

Deinde, quomodo quisque anniti de-
beat, ne fermentum ipse sit: eò quòd vi-
deat hîc fermento in Ecclesia Christi non
esse locum; in qua continuûm est Pascha-
tis festum. Lex dicit: *Peribit anima illius de
populo Israël.*

Tertiò curandum, vt quoniam vitari
non potest, quin aliqua pars huius con-
spersionis corrupta in fermentum abeat,
vt illud quàm primûm eijciatur ex Eccle-
sia; ne reliqua massa corrumpatur. Ecce,
hîc causa excommunicationis.

Quartò; Quoniam verò non est adhuc
in Ecclesia excômmunicationis vsus, pro-
ximum erit, vt quisq; quantû poterit fer-
mentum vel caueat, vel ex ædibus suis, si
non potest ex Ecclesia, eijciat.

Paulus quidem hîc dicit, *Expurgate*: quia
Ecclesiæ scribit: Christus verò, quia de fer-
mento loquitur, quod erat extra Eccle-
siam, nempe Phariseorum doctrina, iubet
illud vitare & cauere.

Omnibus quidem modis cauendum
est, ne fermentum intret in Ecclesiam.

Quòd si verò fuerit ingressum, proximum est vt eiiciatur.

Notandum, quòd Apostolus nō ad fornicarium, sed ad eos scribit, qui eum poterant eiicere: obijcit illis malum illum rumorem. *De vobis, inquit, auditur, &c.*

Quintò; Notandum est de immolatione Christi Paschatis nostri; Quòd non dicit: *Immolatur*: sed *Immolatus est*.

COLOS. III.

Itaque si resurrexistis cum Christo, superna querite, vbi Christus est ad dexterā Dei sedens. Superna curate, non terrestria, &c.



ARTICVLVS Resurrectiōis Christi, non est obiter, sed magno serio, & fide indubitatissima expendendus. Confitemur illam verbis, sicuti à maioribus nostris instructi sumus. Verūm confessio illius, nisi in vera fide ac veritate fiat, plus habet condemnationis, quàm emolumenti.

Est autem veritas Resurrectionis Christi duplicis considerationis. Vna historiam, altera virtutem illius concernit. Ad historiam pertinet, quæ Euangelistę con-

scri-

scribunt. Ad virtutē illius referenda sunt, quæ ab Apostolis Petro & Paulo in Epistolis ipsorum commemorantur. Historicam considerationē constat ordine primam esse. Etenim nisi indubitato illum resurrexisse crediderimus, quomodo virtutē Resurrectionis eius credemus? Quicquid creditur, necesse est, ut primum esse, deinde quale sit credatur. Verum de historica fide in præsentī nihil commemorabimus: Satis enim ex Euangelistis testimoniorum illius admoniti sumus. Et loquimur Christianis, inter quos nulla est hac de re hæsitatio: Videamus igitur de illius virtute,

De virtute Resurrectionis Christi.

Parum emolumenti confert historica Resurrectionis Christi fides: nisi & virtus illius à nobis capiatur. Capitur autem hæc bifariam. Primum intellectu: Deinde & effectu.

I. *Intellectus virtutis Resurrectionis Christi.*

Intellectus iste ad ipsam Christi personam est referendus, ut intelligamus, quæ sit potentia Dei in Resurrectione Christi declarata; Cuius Apostolus Ephes. 1. meminit. Consideranda est autem potentia

Dei in Resurrectione Christi saltem aliquousque. Est enim in se incomprehensibilis.

1. In eo, quòd illum ex mortuis ad vitam restituit. Magnæ sunt mortis vires, fortia sunt illius claustra, verùm maior est potentia Dei, qua & vitæ & mortis habet imperium. Hæc potentia & virtus viuificandi diligenter est obseruanda in eo, qui omnium est vita & conseruatio; cui nihil mori potest.

2. In eo, quòd non solùm morti & inferis illum eripuit, sed & Regnum mortis & inferorum destruxit, Ebr. 2. *Vt per mortem destrueret eum qui mortis habebat imperiũ.* Sic occisus, occisorẽ suum occidit, & omnem illi potestatem ademit.

3. In eo, quòd omnium potestatẽ excitatus accepit. Matth. vlt. Eph. 1. Rom. 14. Sic igitur per hanc potentiã resurrectionis declaratus est Christus Filius Dei, Roman. 1. multò præclarius, quàm si de cruce descendisset.

I I. *Effectus Resurrectionis Christi.*

Effectus iste in nobis, qui Christiani vocamur, non solùm intelligendus; sed & re ipsa est experiendus. Est autem geminus. Primùm, quatenus corpora nostra
in

in nouissimo die, virtute Christi excitabuntur. Rom. 8. 1. Cor. 15. Deinde, quatenus in hac vita virtutē illius in nobis experimur. Hanc notat Apostolus, cū Roman. 4. dicit: *Mortuus est propter peccata nostra, resurrexit propter iustificationem nostri.* Iustificatio hæc gemina est: Vna qua à peccatis, à reatu & pœna peccatorū absolui-
mur: Altera qua in corde quoq; iustificamur, id est, immutamur, regeneramur, & in nouam vitam excitamur. Huius meminit Paulus Roman. 6. & præsentī loco Coloss. 3. dicens.

Igitur, si surrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, querite, &c.) Tenebatur pectus Apostolicum magna sollicitudine, ne fideles, quos Christo lucrificerat, non intellecta satis regni Christi iustitia; vel ad carnis iustitiam secundum Philosophiam; aut legalem, circumcisionis, purificationis, ciborum & sabbatorum obseruantiam, seducerentur; vel acceptæ gratiæ, cuius mysterium Baptisma continet, immemores; ad priscam vitæ turpitudinem relaberentur. Itaque quod carnis ac legis iustitiam concernit, admonuit eos cap. præcedenti: hoc verò tertio transit ad alteram curæ suæ partem; admonens eos, vt in nouita-

te vitæ ambulent, & Mundo ac peccatis mortui, iustitiæ uiuant.

Cōmodum huius gratia admonet eos Baptismatis, in quo, sicut & cap. præcedenti dixit, cum Christo & consepulti erant, & excitati: Sic dicit: *Igitur si surrexistis cum Christo*. Non dicit: Resurrexistis cum Christo; Sed, Si surrexistis cū Christo. q. d. Si quod in mysterio & signo factum est, cū baptizaremini, verè est & re ipsa in vobis impletum; vt sicuti in sacramento sacramentaliter, ita & in veritate Sacramenti, verè & efficaciter cum Christo sepulti & excitati sitis: curate vt resurrectioni huic re ipsa respondeatis.

Quomodo?

Quæ sursum sunt querite, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, nō quæ super terram.) Arguit à Congruo: Vnicuiq; vitæ sua sunt studia, qualitati ipsius conformia. Qui carnalis est, & Deo mortuus, Mundo viuit: is vtique ea sapit & quærit, quibus delectatur. Delectatur autem tanquam carnalis carnalibus, & tanquam mundanus mundanis. Cœlestem vitam vt ignorat, ita etiā nullo illius studio tenetur. Rursus, qui Mundo est & peccato mortuus, & ad iusticiam in Christo rege-

regeneratus & excitatus; quomodo delectaretur eo vitæ genere cui est mortuus? Hoc ipsum, quòd sepultus est & mortuus Mundo & peccato, id efficit; vt nec Mundo nec peccato viuere queat. Quòd verò resurrexit cum Christo ad nouam vitam, id illi adferet; vt nō nisi cœlestis vitæ conuersatione delectetur. Hortatur igitur Apostolus vt id præstent noua vitæ conuersatione, quod Sacramenti accepti gratia & veritas reposcit, & ad eos pertinet qui iam non Mundo, sed Christo viuunt.

OBSERVANDA.

Obseruemus igitur hoc loco, cuius admonēdi simus, quoties vel de nostro Baptismate cogitamus; vel Resurrectionis Christi recordamur, ne nudis symbolis, & inefficaci fide salutis nostræ consultum esse putemus.

Deinde, obseruandum est quòd dicit, *superna querite, superna curate*. Poterat, Si surrexistis cum Christo, cum Christo uiuite, verum, vt quid sit cum Christo viuere, declararet, sic loquitur: *Superna querite, superna curate, non terrestria*. Ergò vita Christianorum sursum est dirigenda ad cœlestia, non terrenis sordibus inuoluenda.

Tertiò, obserua, quòd non simpliciter

dicit, *superna quærite*, sed addit, *superna cūrate*. Pulchrè hæc duo. verba quærendi & curandi coniunxit. Nemo superna quæret nisi illa curet. Quod quisq; curat quærit: quod non curat, negligit & contēnit.

Quartò, Et illud nota, quòd non solùm dicit, *superna quærite & curate*, sed addit, *Vbi Christus est*. Poterat dicere, *vbi angeli sunt*: quòd Elias abiit, &c. Verùm vt animos fidelium ad cœlestia dirigat, dicit; illic esse Christum. Rectè. Quòd respicerent, quòd suspirarent, quòd tenderent, nisi ad caput?

Quintò, Nec simpliciter dicit: *Vbi Christus est*, sed subiicit, *sedens ad dexteram Dei*. Si tantùm esset in cœlis, sufficere ad hoc debebat, vt illò suspiraremus. Iam cùm etiam illic regnet, & diuinitatis gloria potiatur; quis satis expresse, quib. & quàm ardentibus affectibus ad illum noctes ac dies suspicere conueniat?

QVÆSTIO. I.

Sed quæsierit aliquis: quænam sint illa superna apud Christum quærenda, & quæ terrena relinquenda fidelibus. Terrena hoc loco non solùm ea intelligenda esse puto, quæ mala sunt, quorū infrà quædam recenset: sed & quæ hanc vitam nostram

concernunt, quibus quotidie necessariò
vtimur, quæ transitoria sunt & caduca,
vtpote huius Mundi bona. Cœlestia ve-
rò & superna, omnia illa quæ Regnum
Christi cōcernunt; cœlestia illa illa bona;
vitam cœlestem & præsentiā cum Chri-
sto in cœlis. Haud excludūtur fides, spes,
charitas, gaudium, pax, iustitia, sanctimo-
nia, humilitas animi, patientia, &c. Ne-
queunt enim extra ista à quoquam cœle-
stia quæri.

QVÆST. II.

Si terrena ista, quibus carere non pos-
sumus, hîc ab Apostolo intelligūtur; quo-
modo in hac vita viuemus? Nam quan-
tumuis Christiani simus, & ad cœlestem
vitam regenerati; nihilo tamen minus ter-
renis rebus secundum carnem opus habe-
mus: vtpote indumento, cibo, potu, &
quæ alia sunt huiusmodi.

Respondeo. Obserua verba Apostoli.
Non dicit: Si surrexistis cum Christo, &c.
nolite amplius edere, bibere, vestiri: nec
dicit; nolite labore manuum parare vo-
bis victum, & amictum: sed, nolite cura-
re ac quærere terrena. Nec laborem, nec
vsum harum rerum tollit; sed curam, sol-
licitudinem, affectum, studium, tanquam

erga terrena. Exigit ut ista non curemus, non quæramus, sicuti homines terreni, cœlestium ignari, sed illis utamur tanquā non vrentes. Hanc curam & Christus vœruit. Matth. 6.

QVÆST. III.

Si cœlestia & superna, bona illa futuræ & cœlestis vitæ intelligit; quomodo illa curare ac quærere possum⁹, cū sint prorsus intellectu incomprehensibilia: Scriptum est enim, *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, &c.* Quomodo curabo & quæram incognita, imò nō solum incognita; sed & talia, quæ etsi maxime cognoscerem, haud tamē in hac vita apprehendere possem? Deinde quid necesse est ea quærere, quæ alioqui suo tempore contingent?

Respondeo. Primum, licet sint ista bona cœlestia, intellectu incomprehensibilia; possunt tamē appeti, curari, ac quæri, propter Christum, quem in cœlis esse cognoscimus. Et hoc scire, quòd sint incomprehensibilia, magis ad id facit, ut appetantur. Quid enim aliud scimus, quàm esse ea excellentissima, deinde diligentibus Deū parata. Nec illud impedit, quòd ea in hac vita non apprehendimus. Quoniam

niam futura sunt, ideò desiderio & spe appetuntur. Quòd autem alioqui suo tempore contingent, non debet nos reddere negligentes. Contingent enim non nisi esurientibus, curantibus, quærentibus & appetentibus.

~~~~~

# DE ASCENSIONE DOMINI.

1550.  
Bernæ con-  
cione me-  
rid.

IOH. XIV.

*Vado parare vobis locum. Etiam si ab-  
eo, ad parandum vobis locum, ite-  
rum tamen veniam, & assumam  
vos ad me ipsum, ut ubi sum ego &  
vos sitis.*

**D**NGENS planè sapientia est, re-  
ctè sese erga dispensationē Chri-  
sti accommodare. Insunt autem  
huic rei tria.

1. Fides historiæ: ut quòd Verbum cà-  
ro factū sit, passus, crucifixus ac mortuus  
sit, & resurrexerit, cœlos ascenderit, & ad  
dexteram patris olim reuersurus sedeat;  
sic gesta esse hæc omnia credamus. Et hæc